



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Epulum Eucharisticum desiderabile.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

CAPVT XV.

Providentia iudicij, & diuini Bonitas, in Spirituali SS. Eucharistia alimento mirificè subministrato, declaratur. Vbi etiam docetur, quàm grata sit Deo, Spirituales communio.

EA est autem Numinis bonitas, vt, quamuis multi à beneficij datore & manum & vultum auertant, tamen manum ipse non subtrahat, sed, vt exbilaret faciem in oleo (Confirmationis) & panis (Eucharistia) cor hominis confirmet, præter sacrum Chrisma, etiam panem cœli, prodigiosum prodigiosè porrigat, alijs porrigere detrectantibus; aut absentibus, vt porrigere nō possint. *Qui possim ab hoc epulo abesse*, aiunt, dixisse Dianam, cum reliqui Diū adhibiti essent ab Oeneo ad sacrum conuiuium, solam præteritam, aut non admittam. Longè dignius est, vt, qui ad Eucharisticum Epulum non admittuntur, dicant: *Qui possim ab hoc epulo abesse?* Et dicunt, qui Christum diligunt. Nec dicunt frustra. Nam, si defunt mortales, vel immortales eorum desiderio satisfaciunt.

Erkenbaldus de Burban vir nobilis erat, & potens, inquit Cæsarius, & tantus amator iustitiae, vt nullam in iudicijs respiceret personam. Hic, cum grauer infirmaretur, lectō, decumberet, in proximā camerā, tumultum, clamorēq; famineos audiuit: qui cum de causā sciscitaretur, nullus ei circūstantiarū veritatem dicere præsumpsit. Tunc mittens vnū ex pueris, ait: præcipio tibi, sub interminatione oculorum tuorum, vt dicas mihi meram veritatem. Cui ille pauens respondit: Domine, domicellus meus, filius sororis vestrae, fœminam vi opprimere voluit, & hæc fuit causa clamoris. Ad quod verbum valdè commotus, dixit militibus: Ite, & suspendite illum. Milites obedientiam simulantes, postquam egressi sunt, dixerunt ad inuicem; si occiderimus iuuenem hunc nobilem, & dominus noster, sicut opinabile est, mortuus fuerit, vel morte mulctabimur, vel erimus extorres. Omnia tamen iuueni intimantes, & vt presentia auunculi se subtraheret, commonentes, post horas aliquas ad dominum suum ingressi, se eius implese mandatum affirmauerunt. Quinto verò die iuuenis estimans auunculum de culpā esse placatum, vel inmemorem, aperto ostio, introspexit: quem vt infirmus conspexit, verbis

Q²

blandis

I.

Psal. 103. 15

Lucian. in Lapithis, & in libello de sacrificijs.

II.

Cæsarius lib. 9. histor. c. 38. Simile, si non idem narrat Thō. Cantiprat. l. 2. c. 35. n. 6.